

Prob. ant. Quod est summe bonum, debet se summe diffundere, cum bonum sit sui diffusivum; atqui Deus non se summe diffundit; ergo.

Resp. Dist. min. Non se summe diffundit ad intra, nego. ad extra, *subdist.* propter conditionem creaturae, *conc.* propter defectum bonitatis infinitae ex parte Dei, nego. Summa itaque bonitas non potest, nisi personae divinae, summe communicari, quomodo ad intra communicatur Spiritui Sancto in ejus productione.

Inst. Si Deus sit summum in quocumque genere bonum, debet excludere omne malum, tum a se, tum a quocumque alio ente; atqui non excludit; ergo.

Resp. Dist. maj. Debet excludere omne malum, si illud summum agat necessario, ut agit ignis, *conc.* si agat libere, ut agit Deus ad extra, nego.

CAPUT VII.

De intellectu et scientia Dei.

§ I. De existentia, proprietatibus, et divisione scientiae Dei.

Quaeres 1. **U**trum sit scientia in Deo?

Resp. Affir. Nam Esther 14 dicitur: *Domine, qui habes omnium scientiam.* Ratio est quia scientia est perfectio simpliciter simplex, quae est melior ipsa quam non ipsa.

Objicis 1. Scientia est accidens; ergo... *Resp. dist.* Est accidens in creaturis, *conc.* in Deo, nego. Nam in Deo non distinguitur ab essentia.

Objicis 2. Scientia proprie dicta est discursiva; atqui cognitio discursiva repugnat Deo.

Resp. Dist. maj. Est discursiva, spectata in homine, *conc.* spectata in seipsa, nego. Discursus itaque

non pertinet ad essentiam scientiae, est enim tantum ejus defectus et imperfectio; unde excluditur a Deo, qui uno et simplicissimo actu omnia simul pervadit et penetrat.

Quaeres 2. *Qualis sit scientia Dei?*

Resp. 1. Est, *infinita*, tum extensive, quia omnia cognoscit: tum intensive, quia ejus cognitio est certissima, evidentissima, et omnium comprehensiva...

2. Est *aeterna*, quia nunquam habuit initium, nunquam fuit interrupta, nunquam finem habitura est... Est *immutabilis*, quia non est quid realiter et entitative distinctum a Deo, cum sit Deus ipse, ut fides docet.

Quaeres 3. *Quotuplex sit in Deo scientia?*

Resp. Unica est realiter, quae est ipse Deus; tamen propter multiplicem ordinem quem dicit ad varia objecta ad quae se extendit, multiplex a Theologis cum fundamento assignatur scientiae Dei divisio. Nam

1. *Dividitur* in scientiam *necessariam*, quae versatur circa Deum et res possibles, quae non possunt aliter se habere. Et *liberam*, quae versatur circa creaturas, vel praeteritas, vel existentes, vel aliquando futuras.

2. *Dividitur* in *speculativam*, quae in sui objecti consideratione quiescit; et *practicam*, qua Deus res creatas producit.

3. *Dividitur* in scientiam *simplicis intelligentiae*, qua Deus cognoscit res mere possibles; in scientiam *visionis*, qua Deus cognoscit res, vel existentes, vel aliquando futuras; et in scientiam *futurorum sub conditione*, qua Deus cognoscit res, quae nunquam evenient, sed tamen evenirent, si quaedam conditio poneretur, sive postea ponatur, sive non.

§ II. De scientia simplicis intelligentiae.

Quaeres 1. *Utrum Deus omnes creaturas possibles*

certo cognoscat secundum esse eminens quod habent in Deo?

Resp. Affirm. Nam Deus perfecte comprehendit suam omnipotentiam; ergo perfecte cognoscit ea omnia, ad quae potest sese extendere; atqui se extendit ad omnia possibilia; ergo.

Quaeres 2. Utrum Deus possibilia videat, etiam secundum esse proprium et formale quod haberent in seipsis, si producerentur?

Resp. Affirm. Quia sic considerata habent verum esse, nec ille modus videndi ullam in Deo importat imperfectionem, nec excludit perfectiorem videndi modum, in essentia nimirum tanquam in causa; ergo.

Quaeres 3. Quo in medio Deus videt res possibles?

Resp. Eas videt 1. *in sua essentia tanquam in causa earum effectrice:* nam Deus comprehendit suam essentiam; ergo eam cognoscit, tum secundum quod est in se, tum secundum id ad quod potest se extendere; sed qui divinam essentiam sic cognoscit, in ea videt res possibles; ergo, &c. . . . Eas videt *in seipsis prout in essentia divina, tanquam in specie intelligibili, repraesentantur,* quia in essentia divina reperitur ratio speciei illarum intelligibilis.

Objicies contra primam partem: Deus non prius cognoscit suam essentiam, prout est causa rerum effectrix, quam res possibles; ergo essentia, sic considerata, non est medium cognitionis divinae.

Resp. Dist. ant. Non prius cognoscit tempore, *conco.* ratione, *nego.* Itaque non prius cognoscit tempore, quia cognoscendo suam essentiam, simul et eodem instanti, per eandem cognitionem, cognoscit res possibles, propter connexionem, quam habet cum illis. Verum prius ratione cognoscit suam essentiam, quam res possibles, quia essentia est ratio cognoscendi res possibles per eundem cognitionis actum, ita ut essentia per se directe et immediate concipiatur cognosci;

res possibles vero non nisi mediate, indirecte, et per aliud.

Objicies contra secundam partem: Res possibles in seipsis non sunt; ergo Deus eas non potest cognoscere in seipsis.

Resp. dist. ant. In seipsis non sunt formaliter, *conco.* objective, *nego.* Equidem possibilia esse proprium non habent actu, sed posunt habere, et reipsa haberent, si producerentur: Deus autem res, quas producere potest, cognoscit, et quidem secundum esse eorum proprium, non quod habent, sed quod haberent, si producerentur.

§ III. De scientia visionis.

Quaeres 1. Utrum Deus seipsum videat comprehensive?

Resp. Affirm. Nam seipsum tantum cognoscit, quantum cognoscibilis est; ergo, &c.

Quaeres 2. Utrum Deus certo cognoscat omnia praesentia et praeterita, ac etiam occultas cordis cogitationes?

Resp. Cognoscit, et quidem sigillatim ut sunt in seipsis; nam illa omnia sunt cognoscibilia; ergo cognoscuntur a Deo qui habet scientiam infinitam. Unde, *Eccli. 23. dicitur: Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum. . . . et hominum corda intuentes in absconditas partes.*

Quaeres 3. Quo in medio Deus videat seipsum?

Resp. Videt seipsum per suam essentiam absque ullo medio; quia nihil prius est essentia divina in quo ipsa videatur.

Quaeres 4. Quo in medio Deus videat entia praesentia et praeterita?

Resp. Videt tum in seipsis, tum in sua essentia

tanquam in specie intelligibili, in qua, tanquam in speculo, repraesentatur realis eorum existentia.

Quaeres 5. *Quo in medio Deus videat peccata?*

Resp. Videt in forma quae illis est opposita, sicut per lucem cognoscuntur tenebrae, ait Div. Thom. hic.

Quaeres 6. *Utrum Deus omnia et singula futura contingentia libera absoluta cognoscat?*

Resp. Certissime cognoscit: nam 1. id testatur Scriptura, Psal. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longe. . . . et omnes vias meas praevidisti. . . .* 2. Deus multas actiones hominum futuras praedixit. . . . 3. Quia alias Deus nec infinitus, nec immutabilis esset, nam multas de novo cognitiones acquireret.

Objicies 1. Deus, praedicens futura libera, utitur his particulis, *forte, forsitan*; ergo illa certo non novit.

Resp. nego conseq. Nam illae particulae in Deo, non sunt verba dubitantis, sed increpantis, ut docet Div. August. tract. 37. in Joan. Unde idem significant, ac *utique*.

Objicies 2. Praescientia futurorum stare non potest cum libertate hominis: nam quod Deus praevideat, necessario eveniet; ergo.

Resp. Dist. probat. Necessario eveniet, necessitate hypothetica et consequente liberam creatae voluntatis determinationem, *conc.* necessitate absoluta et antecedente liberam creatae voluntatis determinationem, *nego ant.* Unde Div. Aug. lib. 3. de lib. arb. cap. 4. ait: *Sicut tu memoria tua non cogis facta esse quae praeterierunt, sic Deus praescientia sua non cogit facienda quae futura sunt.*

Objicies 3. Si actio a Deo praevisa, sit infallibiliter futura, frustraneae sunt consultationes et deliberationes; falsum conseq. ergo, &c.

Resp. Nego sequel. maj. Nam Deus non aliter res

futuras praenoscit, quam per causas per quas futurae sunt; atqui inter causas rerum, numerantur consultationes et deliberationes; ergo, &c.

Inst. Vel Deus praevidit me salvum fore, vel damnandum; *si primum*, quidquid egero, sive bonum, sive malum, salvus ero; *si secundum*, quidquid egero damnabor; ergo, posita praescientia, frustraneae sunt consultationes, &c.

Resp. Dist. ant. Deus praevidit me salvum fore, vel damnandum, propter bona, vel mala opera mea, eaque libera, *conc.* independenter a bonis vel malis operibus meis liberis, *nego ant.* Nempe non nisi per bona opera obtinendam esse salutem aeternam praedestinavit Deus; quae si fiant, Deus obtinendam salutem praevidet; si vero non fiant, salutem non obtinendam Deus praevidet; unde nullam necessitatem rebus futuris imponit praescientia Dei.

Quaeres 7. *Utrum Deus libera absolute futura videat in reali eorum cum aeternitate coexistentia?*

Resp. Negat. Nam ab aeterno non existunt, alias essent futura, ut supponitur; et non essent futura, quia essent aeterna; ergo ab aeterno non coexistunt aeternitati realiter; siquidem coexistere, nihil aliud est, quam simul cum alio realiter existere.

Objicies 1. Aeternitas complectitur omnia omnino tempora, praesentia, praeterita, et futura: nam est infinita et indivisibilis duratio; ergo, &c.

Resp. Dist. ant. Complectitur omnia tempora, quae existunt, *conc.* quae non existunt, *nego ant.* Porro futura non existunt actu; ergo non coexistunt aeternitati, sed coexistent, quando erunt actu.

Inst. Quod coexistet rei quae est tota simul, jam et coexistit; atqui futura coexistent aeternitati, quae est tota simul; ergo, &c.

Resp. Nego maj. Quia licet aeternitas sit tota simul, tamen virtualiter est extensa, et durationi infinitas

partes sibi succedentes habenti aequipollet; et ideo quod finitam durationem habet, aeternitati secundum ejus totam entitatem respondet quidem, non vero secundum omnes ejus partes virtuales; nec proinde dici potest ibi ab aeterno coexistere.

Objicies 2. SS. Patres et Scholae Magistri docent Deo nihil esse futurum, sed omnia praesentia; ergo, &c.

Resp. Dist. ant. Docent Deo nihil esse futurum quoad cognitionem, *conc.* quoad realem existentiam, *nego ant.* Unde Div. Aug. sese explicans, *lib 5. de Genesi ad litteram, c. 18.* dicit: *Antequam fierent, et erant, et non erant, erant in Dei scientia, non erant in sua natura.*

Quaeres 8. Utrum Deus videat libera absolute futura in proximis eorum causis in actu primo consideratis?

Resp. Negat. Nam causa libera, nempe voluntas, etiam proxime ad agendum disposita, non habet infalibilem connexionem cum effectu futuro libero, cum, positis omnibus ad agendum praerequisitis, adhuc maneat indifferens ad agendum vel non agendum; ergo effectus non potest in sua causa certo cognosci.

Quaeres 9. Utrum Deus futura libera absoluta cognoscat in suis decretis absolutis physice praemoventibus?

Resp. Negat. Nam illa decreta non satis cum dogmate catholico circa humanam libertatem cohaerere videntur, cum iis positis actiones nostrae non sint in nostra potestate: quotiescumque enim aliquid praevium et antecedens non est in nostra potestate, nec a nobis impedibile, toties effectus, qui ex illo sequitur, non est in nostra potestate; atqui decretum absolutum et physice praemovens, 1. non est in nostra potestate, cum, ex adversariis, sit ante omnem praevisionem determinationis voluntatis nostrae ad agen-

dum: 2. Non est a nobis impedibile, cum, ex iisdem, motione ineluctabili et insuperabili applicet voluntatem ad actum; ergo actio consequens ex illo decreto, non est in nostra potestate.

Quaeres 10. In quo ergo medio Deus videat futura libera absoluta?

Resp. Ea videt, in seipsis objective et terminative, id est, in determinata eorum veritate: nam futura libera habent veritatem per se cognoscibilem: unumquodque enim, eo ipso quo est, et eo modo quo est, seu praesens, seu praeteritum, seu futurum, suam habet veritatem, eamque per se cognoscibilem; ergo cognoscuntur a Deo infinite cognoscitivo.

2. Ea videt in sua essentia, tanquam in specie intellectibili in repraesentando, quia in essentia divina, quae est similitudo rerum, reperitur ratio speciei illarum intelligibilis.

3. Ea videt in decreto, quo decernit actu concurrere cum causa libera ad suum actum, in hypothesi quod praeviderit eam acturam, si concursum suum decerneret; nam Deus futura libera absoluta videt in illo medio, quo posito, de illis futuris verum est dicere, *erunt*, et quo non posito, id dici non potest; atqui posito decreto, quo, praevisa per scientiam conditionatorum operatione causae secundae, si concursum illi decernat, reipsa eidem concursum illum decernit, de illis futuris verum est dicere, *erunt*, quo non posito, id dici non potest; nam eo posito, res est absolute futura, nec ante futura est absolute, quam illud sit ponendum, licet conditionate futura sit.

Quaeres 11. Utrum Deus futura libera conditionata certo cognoscat?

Resp. Certo cognoscit, etiam ea quorum non est ad actum reducenda cognitio; 1. Quia ea certo et determinate praedixit futura sub conditione. 2. Quia quidquid est determinative verum, scitur a Deo; atqui

futura conditionata, sunt determinate vera; nam possunt de iis fieri contradictoriae propositiones, quarum necesse est alteram esse determinate veram, alteram determinate falsam; ergo.

Objicies. SS. PP. scientiam conditionatorum damnant ac irrident in Semi-pelagianis; ergo est rejicienda.

Resp. Dist. ant. Damnant scientiam conditionatorum ratione abusus quem illius scientiae faciebant Semi-pelagiani, *conc.* damnant scientiam conditionatorum in se spectatam, *nego ant.* Itaque Semi-pelagiani abutebantur scientia Dei conditionata, docentes, causam praedestinationis ad fidem et gloriam, esse bona opera ex solis viribus liberi arbitrii elicita, quae Deus futura praevidebat. Et cum urgerentur exemplo infantium meritis parium, quorum alii sine Baptismo decedunt, alii, Baptismo donati, respondebant, testibus Aug. et Prospero, Epist. 194. ad Sixtum: *Deus in eis quos hinc aufert, praevidet quemadmodum victurus esset quisque, si viveret: et ideo quem nequiter novit fuisse victurum, sine Baptismo fecit emori; sic in eo puniens opera mala, non quae fecit, sed quae facturus fuit, si ad adultam aetatem pervenisset: quod ut aperte falsum reprobant SS. Patres.*

Quaeres 12. *Utrum Deus libera sub conditione futura videat in decretis absolutis ex parte sui, et duntaxat conditionatis ex parte creaturae liberae?*

Resp. Negat. 1. Quia declarata Dei absoluta praedefinitia non satis cohaeret cum libertate hominis, ut supra probatum est. . . . 2. Quia Christus Matth. 11. objurgat Judaeos prae Tyriis, quod non egerint poenitentiam, quam egissent Tyrii, si habuissent eadem gratiae, tum externae, tum internae auxilia, quae habuerunt Judaei; atqui si Christus non novit conversionem Tyriorum, nisi dependentem a decreto absoluto ex parte sui, haec objurgatio, Judaeis facta prae Ty-

riis, non esset justa: nam Judaei, in doctrina praedeterminantium, destituti sunt auxilio praedeterminante, absolute necessario ad agendam poenitentiam, et quoposito repugnat non agi poenitentiam: Tyrii vere illud habuissent; ergo Judaei injuste a Christo objurgati fuissent prae Tyriis, quod dicere nefas est. . . . 3. Quia per decreta absoluta ex parte subjecti, et conditionata ex parte objecti, Deus absolute statueret fieri, quod non fieri absolute decernit, statuendo nimirum conditionem, sine qua non possunt fieri, nunquam esse ponendam: v. g. *Statuo Tyrios poenitentiam acturos, si apud ipsos fierent miracula quae facta sunt apud Judaeos, sed simul statuo talia miracula apud ipsos nunquam operari;* atqui hic modus operandi est inanis, et majestatis divinae omnino indignus; ergo. . . . 4. Si admitterentur decreta praedeterminantia, Deus, nihil videret ante suum decretum; atqui hoc falsum est ex D. Aug. lib. de praedest. sanctor. dicente: *Praedestinitio, id est, absoluta praedefinitio, est quae sine praescientia esse non potest: potest autem esse sine praedestinatione praescientia. Praedestinatione quippe Deus ea praescivit quae fuerat ipse facturus; unde dictum est, fecit quae futura sunt. Praescire autem potens est etiam quae ipse non facit, sicut quaecumque peccata. . . .* 5. Si admitterentur decreta praedeterminantia, Deus aequae praedefiniret peccata conditionate futura, ac omnes alios actus creaturarum, et sic esset causa et auctor peccati.

Respondent Thomistae, Deum praedefinire entitatem actus peccaminosi, non vero malitiam actus, quam aversatur et prohibet. Sed:

Contra est. 1. Quia non potest intelligi praedeterminatio ad entitatem actus peccaminosi, quin sit praedeterminatio ad malitiam actus, seu ad actum ut malus est. Nam quisquis est auctor actus, cui annexa est malitia, ad eumque praedeterminat secundum enti-

tatem, is quoque ad eum praedeterminat, ut malus est.

Contra est. 2. Quia si Deus praemovendo creaturam liberam ad entitatem peccati, non praemoveret ad ejusdem malitiam, nihil esset in quo Deus videre posset peccati malitiam; atqui illam certo cognoscit, ut docet D. Aug. supra citatus.

Respondent, Deum cognoscere peccata in suo decreto permissivo. *Sed hoc falsum est;* nam decretum illud permissivum, vel supponeret praevisionem peccati si illud permetteret et ad illud concurrere paratus esset; vel non supponeret. *Si primum,* esset eadem sententia, que nostra. *Si secundum,* decretum illud permissivum diceret voluntatem negandi, etiam justis, auxilium necessarium ad peccatum vitandum, ex quo necessario sequeretur peccatum, quo durius nihil, nihil a voluntate divina alienum magis.

Objicies 1. Vera et sincera voluntas Dei anteedens salvandi omnes, est absoluta ex parte Dei et conditionata ex parte creaturae; ergo decreta absoluta ex parte subjecti et conditionata ex parte objecti, non sunt rejicienda.

Resp. Dist. conseq. Non sunt rejicienda, quando conditio pendet a sola creatura, quomodo in hac prop. *Deus vult omnes homines salvos fieri, si illi mandatis obtemperaverint,* conditio pendet a sola creatura, cum Deus, quantum est ex se, omnibus det, aut saltem offert media quae sunt ad salutem consequendam necessaria, *conc.* quando conditio pendet a solo Deo, aut saltem partim a Deo, partim a creatura, nec Deus ex sua parte conditionem illam vult implere, *nego conseq.* Illa enim decreta sunt ludicra et superflua, et consequenter majestatis divinae indigna.

Objicies 2. Voluntas creata ex se est indifferens et indeterminata; ergo debet determinari a Deo.

Resp. Nego conseq. Nam causa secunda libera se ipsam in actu secundo determinat quantum ad exerci-

tium: quatenus sic agit, ut possit non agere; alias non esset libera.

Quaeres 13. *Quo in medio Deus videat libera conditionate futura?*

Resp. Ea videt, 1. In se ipsis; 2. In essentia sua tanquam in specie intelligibili; eodem modo, quo *quaest.* 10. diximus Deum videre libera absolute futura; eadem enim rationes valent pro liberis sub conditione futuris.

Quaeres 14. *Per quam scientiam Deus videat libera sub conditione futura?*

Resp. Per scientiam mediam, in qua includitur Dei decretum de futuritione rei ponendum, tanquam pars conditionis sub qua res esset futura, et ut talis praenoscitur.

Prob. 1. Quia scientiam media est, *certa et infallibilis cognitio actuum liberorum sub conditione futurorum, independens ab omni decreto Dei absoluto, eoque anterior;* atqui Deus per talem scientiam cognoscit libera sub conditione futura; ergo, &c. . . . *Prob. min.* Deus certo et infallibiliter noscit quomodo quisque sit vocandus, ut vocantem non respuat, non reluctetur, sed vocationi divinae obtemperet, ut docent Div. August. lib. 1. ad Simplicia *quaest.* 2. *Cujus autem miseretur, inquit, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat;* et D. Chrysost. *Hom.* 31. *in Matth.* qui quaerens cur Christus Matthaeum non cum Petro simul ac Joanne et aliis discipulis vocavit? Respondet: *Certo quemadmodum tunc ad illos accessit, vocavitque quando obtemperaturos sciebat, sic Matthaeum quoque tunc vocavit quando miraculorum fama perdomitum, minime reluctaturum videbat. Qua de causa etiam Paulum post resurrectionem piscatus est.* Atqui illa cognitio est scientia conditionata, per quam Deus, antecedenter ad omne decretum absolutum, infallibiliter novit talem hominem libere consensurum, si tali, aut tali vocatione praeveniatur; ergo datur in Deo scientia media, &c.

Prob. 2. Si libera sub conditione futura, ex decretis ex parte Dei absolutis, suam haberent futuritionem, prescientia Dei non praesupponeretur decretis Dei actualibus et absolutis; atqui ex PP. praescientia Dei, decretis ejusdem actualibus et absolutis praesupponitur. *Non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum, sed quia futurum est, scitur a Deo antequam fiat,* ait Origen. in cap. 8. Epist. ad Rom. *Et quidem praescientia Dei vera atque inculpabilis est,* inquit Div. Joan. Damasc. lib. adversus Manichaeos, *verum ipsa haudquaquam causa est, cur omnino fiat quod futurum est, sed quia hoc, vel illud facturi sumus, ideo praenoscit.* Et D. Thom. 3. p. q. 1. art. 3. ad 4. ait: *Praedestinatio, id est, absoluta praedefinitio, supponit praescientiam futurorum.* Nihil certe clarius.

Objicies: Nihil omnino futurum est independentem a Dei decreto; ergo Deus non cognoscit futura sub conditione independentem a decreto.

Resp. Dist. ant. Independentem a Dei decreto absoluto vel conditionato, *conc.* semper absoluto, *nego ant.* Nempe ante decretum nihil vere est futurum; verum decretum debet proportionari naturae et conditioni rei futurae: si res sit absolute futura, admittendum est decretum absolutum, non quidem antecedens praevisionem rei futurae sub conditione, sed subsequens; si vero res sit futura duntaxat sub conditione, nunquam ponenda, sufficit decretum conditionatum, quod sit pars conditionis sub qua res futura praenoscitur.

Inst. Ut actus sit conditionate futurus, debet extrahi e statu merae possibilitatis ad statum futuritionis; atqui ad hoc requiritur decretum absolutum ex parte subjecti et conditionatum ex parte objecti, ergo, &c.

Resp. Transeat maj. *nego min.* Nam ut aliquid e statu merae possibilitatis extrahatur ad statum conditionatae rei futuritionis, sufficit decretum conditionate ponendum, quod includitur in ipsa conditione.

Dixi: Transeat maj. Quae posset negari, quia actus sub conditione futurus, non est verus futurus, sed solum esset futurus si poneretur aliqua conditio, ad quod non requiritur ut actus ab uno statu extrahatur ad alium; sed sufficit ut habeat veritatem objectivam, vi cuius de illo dici potest, *esset, si poneretur talis conditio:* veritas autem objectiva non pendet ab ullo decreto actuali.

Inst. 2. Futurum sub conditione habet aliquid, quod non habet mere possibile; ergo e statu possibili est extractum.

Resp. Dist. ant. Habet aliquid objective, *conc.* entitative, *nego ant.* Itaque res sub conditione futura nullam habet entitatem actualem aut futuram, sed solum haberet, si poneretur aliqua conditio: unde rei mere possibili superaddit solummodo veritatem objectivam, quatenus de ea dici potest, non solum quod posset esse, sed etiam quod esset, si poneretur aliqua conditio, quod dici non potest de re mere possibili.

Caeteras objectiones vide Tomo 2. Ubi haec conclusio fusius est tractata.

Quaeres 15. *Utrum scientia Dei sit causa rerum?*

Resp. Est causa rerum directiva, quia suppeditat ideas, ad quas factae sunt res quae ex nihilo eductae sunt.

Quaeres 16. *Quaenam Dei scientia sit causa rerum?*

Resp. 1. Non est scientia visionis: nam versatur circa res jam productas pro aliqua temporis differentia; ergo non potest dirigere potentiam executricem ad illas producendas.

Resp. Est Scientia simplicis intelligentiae. Nam Deo essentias et proprietates rerum omnium possibilium praesentando, proponit modum quo fieri possunt: ergo Deum dirigit ad operandum.

Quaeres 17. *Quotuplex sit idea?*

Resp. Duplex, objectiva nempe, et formalis.

Idea objectiva, est forma quaedam, seu exemplar, in mente artificis existens, ad cuius imitationem extra se operatur. . . . *Idea formalis*, est cognitio formae seu exemplaris, quod artifex sibi in suo opere exprimendum proponit.

Quaeres 18. *An sint in Deo ideae?*

Resp. Affirm. Nam Deus operatur sciens et volens; ergo habet ideas rerum omnium, quas producit conformes illis ideis.

Quaeres 19. *An plures sint in Deo ideae?*

Resp. 1. Est unica idea formalis; quia in Deo unica est rerum omnium cognitio.

Resp. 2. In Deo sunt plures ideae activae; nam idea objectiva, est forma in mente divina existens, ad quam Deus respiciens, omnia entia producit, vel producere potest; sed illa entia sunt plura; ergo et illorum ideae.

CAPUT VIII.

De voluntate Dei.

Quaeres 1. *An sit in Deo voluntas?*

Resp. Affirm. Nam Christus Matth. 6. dicit Patri *Fiat voluntas tua.* Ratio est, quia voluntas est perfectio simpliciter simplex.

Quaeres 2. *Quotuplex est in Deo voluntas?*

Resp. A parte rei unica est, quemadmodum est unica natura; a qua est indistincta; tamen secundum nostrum concipiendi modum, multiplex est.

Quaeres 3. *Quomodo voluntas Dei dividitur nostro concipiendi modo?*

Resp. Dividitur in voluntatem beneplaciti, et voluntatem signi.

Quaeres 4. *Quid sit voluntas beneplaciti?*

Resp. Est ipsa Dei volitio qua aliquid vult, vel non vult. Haec est proprie dicta voluntas, Deo intrinseca.

Quaeres 5. *Quid sit voluntas signi?*

Resp. Est signum quoddam externum declarans Dei volitionem, sic mandata Dei dicuntur voluntas Dei; Matth. 12. *Qui facit voluntatem Patris mei, ipse intrabit in regnum coelorum*, id est, qui servat mandata Dei, quae sunt signa voluntatis beneplaciti Dei. Haec voluntas signi est metaphorica Deoque extrinseca.

Quaeres 6. *Quotuplex est voluntas signi?*

Resp. Quintuplex: scilicet praeceptum, prohibitio, permissio, consilium, et operatio, juxta hunc versum:

Praecipit, et prohibet, permittit, consulit, implet.

Quaeres 7. *Quomodo dividitur voluntas beneplaciti?*

Resp. Dividitur 1. In antecedentem et consequentem.

Voluntas antecedens, est ea, qua Deus aliquid vult secundum se spectatum, abstrahendo a circumstantiis quae illi adjungi possunt. Haec voluntate vult omnes homines salvos fieri, quia hoc in se bonum est.

Voluntas consequens, est ea, qua Deus aliquid vult simpliciter et absolute, spectatis omnibus circumstantiis particularibus. Haec voluntate vult hominem in impoenitentia finali morientem damnari.

Dividitur 2. In absolutam et conditionatam.

Voluntas absoluta, est ea, quae a nulla conditione pendet, talis est voluntas de mundo condendo. Haec semper est efficax.

Voluntas conditionata, est ea, quae ex aliqua conditione pendet. Unde non semper est efficax, quia non semper ponitur conditio requisita.

Quaeres 8. *Utrum voluntas Dei sit causa rerum imperans?*

Resp. Affirm. Nam Psalm. 113. *Omnia quaecumque voluit fecit.* Et Ephes. 1. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.*

Quaeres 9. *Utrum voluntas Dei semper impleatur?*